

J. N. J.

DISSERTATIO METAPHYSICA

DE

BONITATE TRANSCENDENTALI,

Quam

FAVENTE INDEPENDENTE

BONO

Et

Consentiente Inclyto Senatu

Philosophico,

In Florentissimâ Philureâ

Moderante

VIRO PRÆCLARISSIMO ATQ; EXCELLENTISSIMO

DN. M. JOH. SIGISMUNDO

SCHWENCKIO,

Dialect. Philipp. & Metaphys. Prof. P. Præceptore

suo ac Fautore ætatem devenerando,

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit

BENEDICTUS HOPFFER, Altorf.

Phil. & B. A. Baccal. Magist. Candid.


Ad diem 7. Decembr. Anno 1661.

LIPSIÆ,

Literis JOHANN-ERICI HAHNI[I]







PRÆLOQVIUM.



EX Metaphyſicis Thema aliqvod hac vice publicè proponendum ſelegi, & qvidem ejusmodi, cujus ſublimitatem, & maximas autorum de ejus conſtitutione diſcrepantias ut & modum intricatum, qvo à plerisq; traditur, abſterrere me potuiſſe fateor, qvò minus ſtadium, qvod ſemel ingreſſus eram decurrere, apud animum conſtituiſſem. In viam tamen me revocavit ſpes, qvam de æqviori bonorũ omniũ judicio conceperam, fore, ut de conatibus meis, etiamſi materiæ pro dignitate tractandæ non reſpondeant, intuitu tenuitatis ingenii, addo & ætatis, mitiorem ſententiam ferant, memores triti illius

--- --- In magnis & voluiſſe ſat eſt.

Seu Hebræorum veriverbii, dicentium magis laudandum eſſe illum שיש רוצה ואין לו qvi habet voluntatem etſi non habeat facultatem, qvã illum, שיש לו ואין רוצה. Qvi habet facultatem & caret voluntate. Hac itaqve fiduciâ fretus ſine ambagibus thema propoſitum aggredior, rem omnem brevibus theſibus, qvoad fieri poteſt incluſurus. Faxit independens Bonum ut bonus de Bono dicam benè.

Cap. I.

Traditur Definitio nominalis & realis.

§. 1.



Antequam ipsam Bonitatis transcendentalis naturam investigandam aggrediamur, ante omnia nostri in hoc studiorum genere summi Præceptoris Aristotelis præceptum observandum nobis esse existimamus, qvod Palæstram Disputationis ingressuris, α) his verbis præscribit: δεῖ τοίνυν τῶν ὀνομάτων ἕκαστον εἶναι γνώριμον καὶ δηλοῦν ἕν τι καὶ μὴ πολλά, μόνον δὲ ἕν. κἂν πλείονα σημαίνῃ, φανερὸν ποιεῖν ἐφ' ὃ φέρει τοὔνομα τῶν. Huic itaq; ut morem geramus non multum solliciti de Etymologiâ (Sive enim Bonum à boando & huic respondens Græcum καλὸν à καλεῖν, qvòd animos ad se appetendum qvasi provocet, vel etiam ab Hebr. בב. it. τὸ ἀγαθὸν ab ἄγαν ἄξιον θεῖν, sive aliunde derivare velis, liceat per nos. Vid. Scalig β) & Scheibl. γ).) Statim ad homonymiam genitricem illam errorum removendam nos accingimus. Paulò accuratiùs autem inqvirendum nobis erit in varias Boni acceptiones, vel ideò ut in refutatione aliorum posteà magis appareat, in qvo illi erraverint, accipientes nonnunqvam terminum in latitudine Boni transcendentalis, qvem nos eadem in homonymia exclusimus.

α) lib. 11. Metaph. c. 5.
β) Exerc. 300. D. 2.
γ) Met. l. 1. c. 10. n. 2.

§ 2. Dicitur autem Bonum vel verum vel apparens. Nobis h. l. verum, non apparens considerandum.

§. 3. Rursus bonum dicitur vel *essentialiter*, qvo nihil aliud innuitur, qvàm Perfectio: vel *Substantialiter*, qvando habet aliqvid omnes partes, qvæ ad substantiam suam & integritatem spectant (ita comprehendit sub se bonum integraliter, qvod alias substantiali contradistingvitur à Thom. Comptono, δ) Calegurritan. ε) Arriagâ ζ):) vel *Accidentaliter* qvando alicui Accidens aliqvod debitum non deest. Hanc distinctionem trimembrem etiam recitat ex Vasqvezio atq; explicat Stahl. η) & Paul. Voet. θ) Totam autem hanc divisionem alienam hoc l. esse judicavimus, qvatenus bonum supponitur pro perfecto in omnibus speciebus. Non enim perfectum propositum nobis est tractare, sed bonum: Nec bonum nobis idem est ac perfectum. Sin bonum essentialiter in-

δ) Metaph. disp. 3. sect. 2.
ε) Met. Tr. 1. Disp. 3. cap. 4.
ζ) Metaph. disp. 1. sect. 6.
η) Inst. Met. c. 38.
θ) Prim. Philos. c. 12. Sect. 1.

ter intelligi poteſt de Bono tranſcendentali, qvod etiam perfectò contradiſtingvitur, poſſumus illud admittere, reliqvis ſpeciebus rejectis.

§. 4. Videtur autem bonum accidentale qvod opponitur eſſentiali, diſtingvi poſſe in internum & externum. Illud vel eſt *corporis*, ut pulchritudo, vel *animi*, tam laudabile, ut Virtus, qvàm honorabile, ut S. Bonum. Qvam poſteriorem diſtinctionem tradit Philoſophus ι) De eâ etiam agit Svarez. κ) Bonum externum iterum eſt vel utibile, ut Bona Fortunæ, vel fruibile, ut Deus. vid. qvi hanc diſtinctionem ex Auguſtino adducit, Scheibl. λ)

§. 5. Alii in diſtingvendo Bono hunc ordinem ſervant. Bonum eſt vel *tranſcendentale*, vel *naturale*, vel *morale*. *Illud* eſt qvod poſteà conſiderabimus. *Iſtud* qvaſi ſpeciale eſt, qvod alicujus naturæ congruit. *Hoc* itidem qvaſi ſpeciale eſt, qvod conforme eſt rectæ rationi. Et eſt vel *laudabile* vel *honorabile*, item vel utile, vel honeſtum, vel jucundum. Vid. qvæ præclarè de Bono naturali & morali, & in qvantû utrumq; conveniat cum Bono Theologico ſ. ſupernaturali, differit Hornejus μ). Bonum tranſcendentale noſtrum eſt impræſentiarum. Tandem qvoq; aliqvid dicitur vel in ſe, vel alicui bonum. Bonum in ſe nobis propoſitum eſt. Hæc de Homonymiâ dicta ſufficiant, qvi plures diſtinctiones deſiderat, vid. Euſtach. à S. Paulo ν), Horne. ξ) Scharf. ο) Scheibl. π). Nobis bonum dicitur, qvod refertur ad voluntatem divinam, cum qva ſi congruit, verè bonum eſt.

§. 6. Paucis qvoq; attingimus Synonymiam. Dicitur bonum Græcis καλὸν ſeu ἀγαθὸν, Hebr. טוב, Chald. תקין Ubi enim Gen. 1. v. ult. (cùm Deus dicitur vidiſſe omnia, qvæ fecerat) in origin. text. eſt טוב מאד valdè bona Chald. in paraphraſi adhibuit תקין qvod idem eſt ac aptum conveniens, vid. Schindler. ϱ) qvæ ſignificatio egregiè naturam boni declarat.

§. 7. Præmiſſis his, qvæ ad evolutionem nominis neceſſaria videbantur, ſtatim acceſſum facimus ad definitionem realem, eamq; hanc damus: *Bonitas eſt affectio Entis unita, ſecundùm qvam Ens conforme eſt voluntati divinæ.* Hanc definitionem in ſeqq. enucleabimus & qvidem in II. Cap. explicabimus naturam affectionis, eamq; bonitati competere probabimus. In III. verò

ι) lib. 1. Eth. Nicom. c. 12

κ) Met. diſp. 10. ſect. 2. n. 33.

λ) Met. l. 1. c. 10. n. 10.

μ) Philoſ. mor. lib. 2. c. 10.

ν) Eth. part. 1. diſp. 1. q. 4

ξ) Phil mor. l. 2. c. 7.

ο) Lib. 2. Met. Ex. c. 3

π) loc. cit.

ϱ) Lex. Rad. כון & טוב.

 præ-

præmissis & rejectis aliorum opinionibus veram sententiam de formali boni ratione explicabimus.

Cap. II.

Bonitas est affectio entis unita.

§. 1.

JAm videamus de genere in definitione nostra posito, cujus locum occupat affectio, qvæ aliis etiam dicitur attributum, item Modus, vocabulô tamē sub certo sensu acceptô, qvem eruit D. Calov. σ) item proprietas seu passio, his tamen impropriè acceptis, qvatenus sunt consecutiva essentiæ. Qvanqvam passionem etiam formaliter ita latè accipit Calegurritanus τ) ut dividi possit in Physicam & Metaphysicam.

σ) Met. div. part. Gen. p. 264.

τ) Met. tr. 1. Disp. 2, c. 3.

§. 2. De affectione autem ex generali ejus doctrina tenendum, qvòd affectiones sint reales, id est, qvæ non dependeant à sola operatione intellectûs. Metaphysica enim cùm sit disciplina realis versatur circa realia, si autem hæ affectiones essent confictæ sive entia rationis, utiq; earum tractatio pomœriis Metaphysicæ ejicienda esset, qvod etiam urget Svarez. υ) Sed terminus reale ritè accipi debet, qvatenus opponitur ficto, qvibusdam enim reale idem est ac Ens, & ita Petr. à S. Joseph. φ) & hoc probè notandum. Svarez enim aliiq; sæpè negant affectiones esse reales & positivas, in re ipsa tamen nobiscum conveniunt.

υ) Metaph. Disp. 3. sect. 1. n. 10.

φ) Met. l. 2. c. 3. a. 4.

§. 3. Cùm igitur probatum sit, attributa Entis non esse figmentum rationis ratiocinantis, qværitur porrò, *an* ergò sint ipsum Ens? ad qvod respondemus, nos non negare eas esse ipsum Ens, seu includere illud, sed illud negamus, denominare Ens in primo suo conceptu, prædicando enim hâc ratione affectionem aliqvam de Ente, mera committeretur ταυτολογία, qvod absurdum. Dicimus ergò: attributum significat idem qvod ens sub inadæqvato conceptu, h. e. (verba sunt Scheibl. χ)) qvi non repræsentet Ens secundùm omne, secundùm qvod concipi potest. Et rectè dicit D. Calov. ψ) Affectiones esse ipsum Ens non conceptibiliter sed fundamentaliter. Porrò affectiones non esse conceptibiliter idem cum Ente, prohibent diversa prædicata; hoc enim primò cognitum, illæ non primò cognitæ, vid. Calov. l. cit.

χ) Met. l. 1. c. 3.

ψ) Metaph. part. gen. p. 268.

§. 4. Dixi

§. 4. Dixi attributum non esse simpliciter idem ac Ens; ergò ex eo relinqvitur *differre ab Ente*. Qværitur autem, *an differat* ab Ente *realiter*, an verò *ratione*? Prioris qvæstionis affirmativam tuetur Scotus, ω) qvi Ens habere reales & positivas proprietates ex natura rei ab eo distinctas contendit. Unde etiam posteà, ubi de Unitate agit, dicit unum superaddere Enti aliqvid positivum, ex natura rei ab eo distinctum, in qvo, ut existimat Svarez a) secutus est sententiam Avicennæ, qvi hoc asseruit. b) Alios ejusdem sententiæ propugnatores refert Calegurritanus c). Cui etiam qvosdam ex Thomistis consentire refert Svarez d) & plures recenset Calegurrit. e) Qvi tamen in eo à Scoto dissentiunt, qvòd hic Ens in affectionibus qvidditativè includi neget, illi verò affirment. Qvi plura de hac controversia inter Scotistas & Thomistas scire desiderat, adeat Chrysost. Javell. f)

§. 5. Sed ut ad Scotum revertamur rectè illum contradictionis convincit D. Calov. g) qvòd scilicet impossibile sit, dari aliqvod positivum in qvo intrinsecè & qvidditativè Ens non includatur.

§. 6. Qvòd si dicatur, attributa habere propriam Entitatem, qvis nō videt, seqvi hâc ratione processum in infinitum, qvod absurdum adversæ sententiæ patronos jam ad incitas redegit. Illa enim entitas haberet rursus suas affectiones, & hæ alias, & ita in infinitum, qvod tamen natura aversatur. Porrò seqveretur ex hac hypothesi, aut Ens non posse prædicari de Ente simplicissimo, aut in Deo, cui utiq; attributa competunt, dari compositionem ex propria scil. & attributorum Entitate, qvorum prius non admittit universalissimus Entis conceptus, posterius tum sana Philosophia, tum revelata nobis Θεοσοφία, ut impium meritò refellit. Vid. qvi subtiliter hanc sententiam ex Scoti hypothesibus promanantem impugnant, Stahl. i) Voet. k) Petrus à Joseph. l) Calegurit. m) Compton. Carleton. n) Rod. de Arriaga o).

§. 7. Hæc de affectionis natura dixisse sufficiat, plures controversias, qvæ circa eam occurrunt, non adducimus, non enim ex professo de ea hic tractare animus est, satis habemus si bonitatis natura inde qvodammodo reddita sit clarior.

§. 8. Ex dictis patet, qvid affectionis nomine, qvam generis

ω) 4. Met. 4 & 2. d. 3. q. 2

a) disp. Met. 4. sect. 1.
b) l. 3. sua Met. c. 2. & l. 7. c. 1.
c) Met. tr. 1. disp. 2. c. 3.
d) Disp. 3. sect. 1. n. 3.
e) loc. cit.
f) Comment. in Thom. part. 1. q. 3. a. 2.
g) Met. Div. part. gen. p. 266.

i) Inst. Met. c. 4. & c. 33.
k) Pr. Phil. c. 9.
l) Met. l. 2. c. 3.
m) Met. tr. 1. disp. 2. c. 3.
n) Met. disp. 1. sect. 1.
o) Met. disp. 1. sect. 2. &c.

ris locô posuimus, designetur. Porrò in definitione dicitur unita, ut innuatur eam contradistingvi affectioni disjunctæ. Illa enim est convertibilis & reciprocatur cum Ente, hæc non nisi sub disjunctione. Sive clariùs: Illa sine oppositi illatione Ens mo-
p) part. gen. p. 269. dificat; hæc non nisi sub oppositionis respectu, ut effert Calov. p)

§. 9. Jam videamus, an suprà dicta omnia de bonitate dici possint? Probo itaq; bonitatem esse affectionem transcendentalem, qvia proximè seqvitur rationem Entis, nec aliter tractatur, ac in ordine ad Ens, adeoq; cum Ente convertitur; & breviter,
q) l. 1. c. 3. art. 4. qvia illi etiam cœtera reqvisita competunt affectionis, qvæ recenset Scheibl. q) & Voet. r) Est itaq; (1.) non ipsum Ens, qvia ni-
r) Pr. Phil. c. 9. n. 5. hil potest esse sui ipsius passio, sed (2.) distingvitur ab Ente non ex natura rei, qvod evertit exemplum Bonitatis Divinæ, sed abstrahendo secundùm indifferentiam à realitate & ratione. Ex qvo (3.) seqvitur, esse posteriorem Ente, saltem in signo rationis. (4.) Deniq; reciprocatur cum Ente in concreto, ut rectè dicatur: omne Ens est bonum, &, omne bonum est Ens. Hîc cum nonnulli utrumq; hoc membrum oppugnare ausi sint, breviter, qvænam sint opposita rationes, videamus.

§. 10. Prius membrum non sine nota insignis impietatis de-
s) Phil. pr. c. 10. struere conati sunt Manichæi & Priscillianistæ, qvi corpora suapte naturâ mala dixerunt, uti refert Voet. s) & magnum autorum
t) disp. Met. 10. sect. 3. n. 4. cumulum qvi de hoc Manichæorum errore agunt, adducit Svarez t). Hornej. u) ait, hoc inde esse, qvia olim Manes & asseclæ
u) Philos. mor. l. 2. c. 7 duo rerum principia statuebant coæterna unum Boni, alterum Mali. Sed meritò damnatur hæc opinio, qvia Sacræ Scripturæ expressè contradicit. Nos itaq; eam, qvia Diabolum creatorem
x) l. cit. facit, & ab aliis prolixè refutata est, hîc ulteriùs non impugnamus.
y) l. cit. Vid. Svarez. x) & Hornej. y) qvi multa ad hujus erroris cognitionem & refutationem ex Augustino reddunt. Hoc notandum hîc obiter tantùm velim, Manetem procul dubio errorem hunc detestabilem imbibisse ex Theologia Diabolica Magorum Persiæ, qvam postea paulò immutavit Zoroaster, cujus hactenus adeò decantatam antiqvitatem Cyri tempora non superare eruditissimè nuper Dn. Henricus Ursinus z) demonstravit. Hi enim sta-
z) Exerc. 3. de Zoroast. tuebant, duo esse principia coæterna, unum bonum, alterum malum.

lum. Illud lucem, hoc tenebras esse. Hinc etiam Plutarchus a) refert, statuisse Persicã Theologiam, duos Deos eosq; qvasi ἀντιτέχνους: qvorum alter bonorum, alter malorum sator & altor esset, &c. Videatur, qvi plures de hujus erroris Manichæorum origine autores recenset Cl. Arnoldus b) eundem etiam errorem fovisse Pythagoricos constat ex Arist. Hoc autem inde evenisse, qvod causas particulares contrarias ad causam communem revocare nescìverint, existimat Thomas c).

a) De Isid. & Osir.

b) Spicil. ad Zer. Ursini p. 52.

c) Sũ. part. 1. q. 49. a. 1.

§. 11. Alii objiciunt habitus vitiosos & actus, cùm hi potiùs difformitatem habeant ad Divinam voluntatem qvàm convenientiam. Sed facilis est responsio, habitus & actiones, ut sunt accidentia, in se esse bonas, sed malas fieri, in qvantum à ratione deflectunt. Vid. Scheibl. l. cit. Voet. d).

d) Phil. c. 12.

§. 12. Deinde qvod objicitur de Entibus Mathematicis, qvæ ex assertione Philosophi bonitate destituta dicuntur, illud dissolvere conantur qvidam dicendo Entia Mathematica, cùm propriè non sint Entia, nullam etiam habere bonitatem. Alii volunt sermonem hîc esse de Bonitate morali vel naturali, Eustach. vid. etiam Svarez. qvi prolixè hanc qvæstionem ex Thoma explicat. (Sed cùm pleraq; tantùm de perfectione dicta sint, in ea accuratiùs inqvirere hîc supersedemus.) Et hoc etiam dictum volumus de aliis qvæst. utpota, cùm qværitur, an materia prima sit bona? &c. Hîc enim Bonum plerumq; ponitur pro perfecto. Sicĉo qvoq; pede transimus illam difficultatem, an & cur in SS. Trinitate relationes careant Bonitate, cùm aliàs Bonitas aliqva esset in una persona, qvæ non esset in altera. Cùm enim partim ad perfectionem referatur, ut à Svarez. e) partim etiã limites Philosophiæ transcendat, nemo ægrè feret, si h. l. intactam hanc relinqvimus qvæstionem. Videatur interim Voët. f) Ventilat eam qvoq; Petrus à S. Joseph. g) Et ibi remittit ad Theologiam suam Speculat. it. prolixè Svarez. h) Optimè Dn. Calovii verba decidere rem possunt, cùm in Metaph. Div. p. 265. scribit: Qvare cùm Modi in sua formalitate præcisè non includant Ens neq; de iis prædicari dicunt ea, qvæ Enti per se insunt. Ita personæ abstractæ non tribuitur esse dependens, vel independens, sed essentiæ & naturæ &c. Applicemus ad bonitatem.

e) Disp. 10. sect. 3. n. 16. 17. 18.

f) Pr. Phil. c. 10. n. 6.

g) l. 2. c. 3. art. 4.

h) l. cit.

§. 13. Ad

§ 13. Ad alterum membrum nos convertimus, qvod dicit, omne Bonum esse Ens. Præcipuum est, qvod hic objicitur, dici etiam Non-entia & Privationes bonas. Illius exemplum datur ex Matth. 18. ubi scandalizanti pueros melius judicatur τὸ non esse qvàm esse, adeoq; non esse bonum dicitur. Sed hîc non est, ut in respondendo prolixi simus, vid. Scheibl. i) simpliciter enim hîc applicari posse videtur vel pueris notus ille Canon: multa vera sunt in sensu comparativo, qvæ non vera sunt in sensu positivo. Qvod si objiciatur Entia negativa tamen interdum appeti, adeoqve rationem boni habere. Sic etiam privationes, ut mors,&c. ergò & has bonas esse. Hîc respondent aliqvi negationes & privationes istas induere rationem boni ideoq; saltem ut bonum apparens appeti. Scheibl. k) concedit aliqvam analogiam, qvia talia finguntur esse bona, cùm ergò dicatur: Bonum est Ens, inqvit, analogum stare pro principali suo significatu (scil. bonitate positivi Entis transcendentali.) Sed missis his, dico simpliciter nulla Entia negativa à nobis per se appeti neqve ullam privationem esse, qvam aliqvis ut finem desideret. Sic ergò hæc non à nobis ut bona appetuntur, multò minùs verè erunt. Probo autem, qvia qvæcunq; sive negatio sive privatio alicui in votis sit; illa semper non nisi sub ratione medii necessarii ad aliud bonum conseqvendum appetitur. Sic damnati appetunt non-esse, & qvi cruciatibus destinati sunt, carentiam tactus, non ut fines sive qvod hæc talia bona judicent, sed per accidens ut conditionem sive medium, sine qvo verum bonum, liberationem scil. à cruciatibus neqveunt impetrare.

i) l. cit.

k) Met. c. 10. l. 1. n. 66.

§. 14. Ad assertionem hanc: omne bonum est Ens, etiam Platonicos excepisse, dum bonum aliqvid latius Ente dixerunt, ex Jamblicho & Plotino probare conatur Jacob. Martini l) qvod obiter indigitâsse sufficiat.

l) l. 1. Exerc. Met 3. Th. 2. p. m. 70.

§. 15. Anteqvam autem pergamus notandus nobis est Timplerus, qvi m) secutus alios, qvorum mentionem facit Soncinas n) asseruit, bonitatem esse qvalitatem. Sed falsum hoc esse patet qvodammodo ex suprà dictis de genere bonitatis. Imò ipse Timplerus bonitati inter transcendentia locum concedit; annon verò repugnat esse transcendens & includi numero prædicamen-

m) 9. Met. 7. 6. & 2.

n) Met. 4. q. 19.

camen-

camentorum? Inferretur hâc ratione in Deo accidens. Homo secundùm propriam essentiam remotis omnibus accidentibus non esset bonus. ἄλογον. Vid. Scheibl. o) Svarez. p) o) Met. c. 10. p) Disp. 10. sect. 1. n. 4.

CAP. III.

Bonitas est conformitas rei cum voluntate divina.

§. 1.

IN præced. cap. egimus de natura bonitatis generica, seqvitur de specifica. Hic autem pleriq; & imprimis qvidam ex Scholasticis adeò intricatè rem proponunt, ut sibi ipsis nonnunqvã vix constare videantur. Sententias autem tot numerare possis,

— — — qvot lumina possidet Argus.

Earum præcipuas qvasdam adducemus, easq;, qvantum angustia pagellarum admiserit, evertemus, & deniq; veram propositam sententiam breviter explicabimus & confirmabimus.

§. 2. Primò hanc sententiam perspiciemus, qvæ formalem bonitatis rationem ponit in *appetibilitate*. Videtur autem huic ansam præbuisse illud philosophi, qvod habet q) Bonum est, qvod omnia appetunt. Sed rectè advertit Thomas r) hanc non esse definitionem sed descriptionem à posteriori, qvod libenter concedo. Hæc autem sententia ideò non videtur posse consistere, qvia illud formale constituens Boni dicit, qvod saltem est conseqvens & proprium ejusdem. Appetibilitatem autem esse aliqvid conseqvens ita probatur: Qvodcunqve non nisi mediatè Bono competit, illud non est ratio ejus formalis. Sed appetibilitas non nisi mediatè bono competit; Er. Maj. prob. qvia, qvod est formalis ratio alicujus, debet exprimere illius conceptum qvidditativum, qvi immediatè de eo prædicetur & illud à priori denominet. Minor probatur, qvia appetibilitate prior est convenientia, & simpliciter aliqvid ideò est appetibile, qvia est bonum, non verò bonum, qvia est appetibile. Adeoqve bonum est causa hujus, ut rectè disputat Stahl. s) Eustach. t) Discedimus itaq; in hoc à Scheiblero, accurato aliàs Metaphysico, qvi u) dicit, bonitatem enti solummodo addere respectum ad appetitum (sive ille intelligatur complacentiæ sive desiderii, qvem tamen posteriorem negat Voet.) x) qvam sententiam non admitten-

q) l. 1. Eth. c. 1.
r) Eth. 1. c. 1.
s) Inst. Met. c. 38.
t) Met. part. 3. disp. 2. q. 1.
u) Met. l. 1. c. 10.
x) Phil. pr. c. 12. sect. 1. n. 11.

y) *l.c. n.9.* dam patet, vid. qvi expresse contrà Scheibl. disputat, Voet. y).

§. 3. Destructâ appetibilitate videamus jam de *convenientia*. Hîc tàm indistinctè qvidam procedunt, ut cùm in convenientiæ termino conveniant, in re ipsa tamen toto cœlo distare videantur. Sunt, qvi dicunt, formale boni esse convenientiam *ejusdem ad se ipsum*. Et contra hos Scheiblerum disputare refert D. Ca-

z) *Met. part. gen p. 351.* lov. z), ita: Hâc ratione etiam malum futurum esse bonum, cùm & illud habeat sibi proportionatam convenientiam, qvâ ma-

a) *l.c.* lum est, sed paulò pòst id. D. Calov. a) emeritam atq; fucatam esse hanc mali convenientiam ait. Dico autem, si per convenientiam ad seipsum intelligunt perfectionem (qvod procul du-

b) *l.c.* bio sic est, sic enim sentit Arriaga b) & Vasqvez referente Stahl.

c) *c. 58.* (c)) eos confundere hanc cum nostra bonitate, cùm distincta sint potiùs, ut suprà monitum. Et non video, cur Scheibl. de malo opponat. Aut enim intelligit malum morale vel naturale; Illud autem non est h. l.: aut intelligit malum transcendentale; Illud autem planè non datur.

§. 4. Alios convenientiæ assertores aggredimur, & illos: qvidē, qvi existimant, bonitatis formale esse *convenientiam* ad *aliud*. Huic sententiæ plures ex Scholasticis subscripserunt. Petrus à Jo-

d) *Met. l. 2. c. 3. a. 4.* seph. d) Svarez e) & alii, qvorum multos adducit Calegurrit.

e) *Disp. 10. sect. 1. n. 12.* f) qvi & ipse ita sentit, licet hoc bonum conveniens faciat qvasi speciem contradistinctam bono amabili, ut accuratiùs hujus opus

f) *Met. tr. 1. disp. 3.* inspicienti patebit. Et asserunt hanc bonitatem esse qvidem passionem entis, sed ita tamen, ut absolutam illam perfectionem, cujus suprà meminimus, fundamenti locô supponat. Et ita Jo-

g) *l. cit.* seph. g) Svarez. h) Sed ut etiam his satisfiat, dicimus, eos malè

h) *Disp. 10. sect 3.* Bonum alteri dicere passionem Entis: hoc enim in Homonymia prætermisimus: & nonnullos confundere cum bono in se: licet enim omne Bonum alteri sit bonum in se, qvod Svarez. probationis locô adducit, non valet tamen hoc reciprocè. Porrò, errare

i) *l. cit.* qvoq; Calegurrit. i) qvi bonum conveniens & bonum amabile qvasi distinctas species constituit, ex suprà dictis patet. Sed qvod convenientiam alteri attinet, seqveretur, si illa esset bonum tran-

k) *Phil. pr. c. 12 n. 10.* scendentale, bonitatem mutari posse in malitiam, non enim omnis

l) *l. 1. c. 10. n. 38.* res conveniens est omni appetitui, sed alicui est disconveniens. Vid. Voet. k) it. Scheibl. l).

§. 5. Hæc

§. 5. Hæc de convenientia, de qva multò plura dicere possemus, si omnia Scholasticorum scrinia excutere animus esset. Juxta hoc, qvod tam prolixè disputant, an convenientia vel ad se, vel ad aliud, vel ad appetitum &c. sit formale bonitatis? insuper deinde qværunt, an illa convenientia, cùm respectivum aliqvid sit, posita sit in *relatione reali*, an verò *rationis*? sic adversus posterioris sententiæ patronos (inter qvos est Fonseca, qvi m) convenientiam illam relationem rationis appellat) fusè disputat Svarez n) ubi Fonsecam (qvem suppressô qvanqvam nomine procul dubio intelligit) vel adhibitæ æqvivocationis, vel repugnantiæ incusat. Qvod etiam facit Scheibl. o) Alii asserunt relationem realem, qvi si accipiant *τὸ* reale, qvatenus opponitur ficto, haud errant. Cùm autem hæ qvæstiones de convenientia vel supponant convenientiam ad aliud, vel ejusdem ad seipsum, vel appetibilitatem tanqvam formale boni, nos autem istas hypotheses suprà destruxerimus, non videtur opus esse, ut eas ex professo ventilemus.

m) l. 4. Met. c. 2. q. 5.
n) Disp. 10. sect. 1. n. 3.
o) l. cit.

§ 6. Præmissô erronearum opinionum cumulô veram tandem subjungimus sententiam, dicentes formale bonitatis consistere in *congruentia cum voluntate divina*. *Probamus* autem assertum ex doctrina de vero ita: Qvicqvid formale est veritatis in ordine ad intellectum divinum, illud etiam formale est bonitatis in ordine ad voluntatem divinam. Sed veritatis in ordine ad intellectū divinum formale est conformitas; Er. etiam Boni in ordine ad voluntatem divinam formale est conformitas: Conseqventia patet ex analogia, qvam habent verum & bonum. Utrumqve enim est respectivum; & qvidem ut illud refertur ad intellectum divinum, ita hoc refertur ad voluntatem divinam. Videatur, qvi aliqvot modis hanc analogiam veri & boni probat, Voet. p) Eustach. q)

p) Phil. pr. c. 12 sect. 1. n. 14. & 17.
q) l. cit.

§. 7. Jam de conformitate ipsâ videamus. Anteqvam autem propiùs eam inspiciamus, dividenda nobis est in *independentē* sive summam, & *dependentem* sive participatam. De hac notandum, qvod eatenus dicatur conformis voluntati divinæ, qvatenus *τὸ* esse approbationis ab ea habet (id est, qvatenus Deus creando rem, simul eam approbavit, qvæ inde formaliter bona denominatur))

natur) & ut mensuratum à divina voluntate tanqvam mensura dependet. Illa autem tantùm qvia approbatur à divina voluntate, non it. qvia ad eam, ut ad regulam, ordinatur, i.e. qvatenus Deus suam essentiam intuetur, eamq; approbat, atq; in ea sibi complacet. Qvod autem Dn. Stahl. hîc objicit, essentiam divinam non posse referri ad voluntatem, tanqvam ad mensuram. Respondet Voet. r) vel saltem negativè hoc fieri posse, in qvantum ejus essentia à voluntate divinâ ametur. Hinc patet, qvantum bonitas divina differat à creata, illa est originaliter bona; hæc non nisi participativè. Illa est Archetypum, hæc Ectypum. Et specialiter aliàs definitur Bonum independens, qvâ essentia primò conformis est voluntati, qvæ non extra illam essentiam, nec aliud ab illa essentia, sed qvæ ipsa est essentia. Dependens autem, qvâ res conformis est voluntati, qvæ extra illam essentiam est. Uti definitionem hanc nobis exhibet Dn. Præses s) vid. etiam Calov. t)

r) *l. cit.*

s) *in prælect. publ. Art. 4. de Bono.*

t) *Met. part. gen. p. 312.*

§. 8. Cùm autem de voluntate divina modò aliqvid dictum sit, porrò etiam illud h. l. observandum est, eam in respectu ad Entia creata bona *duplici modô* concurrere posse. 1. cùm concipitur res esse per hoc *bona*, qvòd voluntati divinæ sit congrua facta in sui productione. 2. cùm concipitur res à Deo *appeti*, in qvantum jam est bona. Hôc modô voluntas Dei præsupponit bonitatem, illô modô est causa & norma ejusdem. Vid. omninò Voet. u) Huc egregiè applicari posse videtur distinctio bonitatis in entitativam & apprehensivam sive appetitivam, qvam exhibet Dn. Præses x) In illa res bona est normatum, & norma est voluntas. In hac res bona est norma, & voluntas est normatum. Nos voluntatem Dei consideramus h. l. ut ad entitativam bonitatem concurrit producendo rem bonam & approbando.

u) *Phil. pr. c. 12. n. 14.*

x) *in prælect. publ. Met. a. 4.*

§. 9. Non incommodè hîc attexenda videtur qvæstio, an ad bonitatem reqviratur, ut etiam dicat conformitatem cum *voluntate creata?* Qvod concedimus eatenus, qvatenus hæc *increatæ* voluntati *similis* est, h. e. incorrupta, qvod cum grano salis accipiendum, non enim in hoc similis est voluntas creata increatæ, qvòd bonum possit constituere, sed qvod constitutum simul approbare possit. Norma itaq; est secundaria primariæ contradistincta, ut itidem monet Dn. Præses. y) Dixi voluntatem humanam similem

y) *l. cit.*

lem debere esse divinæ, unde qvæstio oritur, cùm voluntas divina bonum appetit, qvatenus τὸ esse approbationis à se habet, an etiã voluntas *creata* bonum *sub ratione transcendentalis boni* (sive, qvod idem est, qvatenus τὸ esse approbationis à voluntate divina habet) appetere debeat? Distingvimus hîc cum Voet. z) inter cognitionem *implicitam* & *explicitam*. Sic rusticus dicendo solem aliqvid bonum esse, non cognoscit præcisè ideò esse bonum, qvia τὸ esse approbationis à divina voluntate habet, sed qvia refertur ad suum creatorem. Et hinc etiam confirmari videtur, qvod ait Voet. a) *Appetitum creatum* semper etiam ferri in illud ens, qvod *instinctu naturæ* cognoscit esse approbatum à prima voluntate. Sufficit autem, si ita res apprehendatur implicitè, etsi non semper explicitè. *Deinde* dici posset cum eodem Voetio b) appetitum in homine nominari eum, qvem bonum *naturale* aut *morale* movet. Hâc ratione non tenemur ad respondendum pro appetitu ex bono transcendentali prognato. Admittimus hoc de appetitu hominis in famosiori significatione. Qvô ipsô tamen non planè excluditur aliqvis appetitus, qvi feratur in bonum transcendentale, qvâ tale est.

z) *l.c. n.15.*
a) *l. cit.*
b) *d. l.*

§. 10. Cùm autem in præcedentibus dicitur, Bonitatem positam esse in convenientia, adeoq; in *relatione*, de ea, an *realis*, an *rationis* sit inqvirendum. *Negamus* autem esse *relationem rationis*, qvia non dependet à sola operatione intellectûs, res enim bonæ sunt, etsi à nullo homine id cogitetur. Et qvanqvam Fonseca dicat, posse aliqvid præcisâ operatione mentis rebus convenire etiamsi sit relatio rationis, in eo tamen rectè repugnantiam inferre dicitur à Scheibl. c) & Svarez d). Est autem illa relatio realis, non qvòd formaliter sit Ens (hæc enim assertio facilè nos deduceret in errorem Scoti) sed qvatenus τὸ reale opponitur illi, qvod extra fictionem mentis nihil est. Aliô qvoq; modô relationem realẽ asserimus (loqvendo de bonitate creata) qvatenus scil. dependentiam realem infert mensurati à mensura i.e. rei à voluntate divina.

c) *Met. l.1.c. 10.n.28.*
d) *Disp. 10. sect.1.n.4.*

§. 11. Referenda huc videtur qvæstio, qvâ qværitur, an bonitas transcendentalis *recipiat magis & minus?* Eam affirmare conatus est D. Fitan. Solon, qvi e) asserit, res, qvò magis minusvè Deo congruunt, eò magis vel minùs bonas dici. Qvò etiam non-

e) *Met. l.2. p.2.*

nulli

f) *Met. part. 3. disp. 2.* nulli referunt verba Eustach. f) qvæ ita se habent: Entia magis minusvé bona sunt, qvatenus plus minusvé divinæ bonitati cõgruunt. Et hæc eadem esse videtur sententia, qvam refert Rod. de Arriaga g) à qva etiam ipse non magnoperè abhorret, saltim dissensum nullum ostendit: non omnia æqvaliter à Deo amari sive appeti, eamq; inæqvalem amabilitatem rebus intrinsecam esse. Ex hac autem inæqvali appetibilitate inæqvalem bonitatem seqvi nemo nõ videt Sed Resp. ab absurdo, qvòd hac ratione conseqvatur, Deum, qvi approbatione suâ in productione bonitatem rebus concessit, in illa, qvæ minùs conformis est voluntati suæ, aliqvid omisisse. Repugnant autem clarissima contextûs sacri verba, qvæ expresè innuunt, omnia valdè fuisse bona, i. e. maximè, qvod innuit apud Hebræos particula מאד, qvæ cum nomine adjectivo posita superlativum facit. Vid Schindl. Lex. h) Qvæ autem maximè bona sunt, ea non possunt esse magis bona. Seqveretur etiam ex hoc asserto voluntatem divinam esse multiformem, cùm esset unius rei magis mensura, qvàm alterius, qvod absurdum. Vid. Voet. i) Addo etiam aliud argumentum: Cujuscunq; archetypum non recipit magis & minus, illud ipsum non debet magis minusvé recipere: sed participatæ bonitatis archetypum scil. essentialis bonitas non recipit magis & minùs. Er. etiam ipsam non recipit magis & minùs. *Min.* prob. qvia nemo facilè concedet bonitatem divinam alterari & hinc in sacris qvoq; toties immutabilis deprædicatur. *Maj.* prob. ex convenientia, qvæ in omni opere reqviritur inter Ectypum & Archetypum. Hinc Thomas dicit, ab hoc qvodcunqve bonum esse, qvia participat summum bonum per modum cujusdam assimilationis. Adde Thom. k) qvi prolixè hanc qvæstionem tractat, an creaturæ bonæ dici possint bonitate divina? Vid. etiam Comment. Th. Cajet. & Chrysost. Javell. Calov. l) Et acutè Scaliger m) inqvit: A summo bono non potest simpliciter nisi summum bonum in uno qvoqve genere aut ordine Entium proficisci. Homo enim in suo genere summè bonum est, & musca &c. Qvibus verbis & nos exercitationem nostram claudimus finientes illô Bonô, in qvo exorsi sumus, cui sit laus & gloria!

g) *Met. disp. 1. n. 117.*

h) *Rad.* מאד

i) *Phil. pr. c. 12. n. 17.*

k) *sum. q. 6. art. 2.*


l) *part. gen. Met. dis. tr. post. c. 6. Th. 2.*

m) *Exercit. 249. d. 3.*

Additamenta.

1. *In quarta Figura syllogistica nullus Medius terminus thesi est.*
2. *Materia prima non est imperfecta.*
3. *Terra* כוש *in sacra S. num Æthiopiam, an Arabiam denotat?*

F I N I S.



Mc

